



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Et ipse iudicabit orbe[m] terræ in æq[ui]tate, iudicabit populos iusticia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

in uitis patrum, quomodo duo fratres iuniores de Melchisedech quaestionem
 agitantes, ad sententiam reuulerunt, qui tunc pectore suo, Vae mihi (inquit)
 peccatori, qui neglectis peccatis meis, in has inanes quaestiones feror. Tum
 illi erubescens cum silentio, in suam sese quisque cellam proripuit. Et ubi no-
 stri apparebunt, qui non de Melchisedech, sed de Aristotele & Porphyrio tam
 frivola uersant, praeciosissimo tempore tam infeliciter perditis, & iudicio hoc
 Christi posthabito: Sane & sponsam in Canticis, vj. reprehendit, nimio stu-
 dio scrutandi dei intentam: Auerte oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fe-
 cerunt. In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabun-
 tur, ideo tenuit eos superbia.

Sed & illi hoc Christi iudicium impiissime impugnant, qui hominibus de-
 ceptis, remissiones (ut uocant) omnium poenarum & culparum plenarias me-
 dacter, securitate uanissime promissa, concedunt, dicentes: Pax, pax, & non est
 pax. Atque (ut Isaias ait) facientes populum dei fidere in mendacio. Et rursum. in.
 Popule meus qui te beatificat, ipsi te decipiunt, & uiam gressuum tuorum disti-
 pant. Stat enim sententia: Parauit ad iudicandum thronum suum. Sic & psal.
 cxxj. Quia illic sederunt sedes in iudicio. Quem enim non mordet suum pecca-
 tum, quomodo sitiet gratiam dei? Qui non sitit, quomodo quæret? Qui non
 querit, quando inueniet? Nec frustra dicitur: Dominus in æternum sedebit.
 Quod referri debet ad tempora huius uitae: Non enim erit peccatum post hanc
 uitam ad quod iudicandum tunc sedeat, sed erit & ipse filius subiectus ei qui sub-
 iecit ei omnia, tradens regnum deo & patri, postquam subiecti fuerint omnes ini-
 mici sub pedibus eius, ut. j. Cor. xv. docet Apostolus. Semper itaque sedet, quia
 semper est peccatum, quod in nobis iudicet, ut nobis destructus, ipse perseueret,
 & transferamur nos in illud, & non ille in nos. Qui uero hoc iudicium domini por-
 tauerit, cum Michea, vij. dicens: Iram domini portabo, quoniam peccati ei, dignus
 erit ut eductus cum eodem Michea in lucem, uideat, uideat iusticiam dei: Et cum
 sederit in tenebris, erit dominus lux eius. Unde sequitur.

Et ipse iudicabit orbem terrarum in æquitate, iudicabit populos in iusticia.

Idem fere uersus psal. xcviij. sic est redditus: Iudicabit orbem terrarum in ius-
 ticia, & populos in æquitate. Quod psalmus. xcvi. dicit: Iudicabit orbem terrarum
 in æquitate, & populos in ueritate sua. Verum & alijs locis, duo hæc nomina,
 iusticia & æquitas, sunt inconstanter reddita, alterum pro altero, & aliquan-
 do æquitas pro rectio, & e contra. Fuit autem hoc uersu, iusticia, priore loco, &
 æquitas, posteriore ponenda. Sic enim hebraeus habet, autore etiam Hierony-
 mo: Et ipse iudicabit orbem in iusticia, iudicabit populos in æquitate. Hoc
 est, in rectitudinibus, quas psal. xcviij. uocat directiones: Tu (inquit) parasti
 directiones. Debemus autem iusticiam, & æquitatem intelligere, non internam
 Christi solum, qua ipse iustus & æquus est, sed opera eius quibus iustificat, &
 rectificat populos, & gratiam eius, qua illis iusticiam & æquitatem largitur.
 Alioquin quis staret ante thronum eius quantumlibet sanctus, si iusticia &
 æquitate sua homines iudicaret? Sicut de Salomone potest dici, quod fuerit rex re-
 gnans in diuinijs gloria & pace, quia non solus ipse, sed & subditi sui per eum
 discebant, gloriabantur, & pace fouebantur, ut. iij. Regum. iij. Habitaratque
 Iuda & Israel absque ullo timore unusquisque sub uite sua & sub ficu sua, a Dan
 usque Bersabee: Alioquin miserissimo & infelicissimo regno regnasset, si subditi
 sui fuissent omnes pauperes, infames, inquieti, stulti, &c. Ita regnum Christi
 in ueritate

Theologia
 Speculatiua
 inanis.

Veni pro
 peccatis pro
 missis.

Dominus in æ-
 dex noster se-
 det, sedet &
 iudicat.

Iusticia &
 æquitas.

in ueritate, iusticia, æquitate, pace, sapientia consistit, non quia solus ipse, sed & fideles sui per eum sunt ueraces, iusti, æqui, pacifici, sapientes. Esset enim licitissimus, si sui essent mendaces, peccatores, iniqui, inquieti, insipientes, quod est diaboli regnum. Sic Isaiâ, xxxv. prædixit: Non adijciet ultra, ut pertrahat in te immundus & incircuncisus,

Iusticiam & æquitatem, ne affectemus copiam & uarietatem, pro nostra salute temeritate, siue libertate, arbitremur ex psalmo. v. esse aliud nihil, quod opus misericordiae & iudicij dei, dicitur enim illic: Ego autem in multitudine misericordiae tuae, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo. Et iterum: Deduc me domine in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo uiam meam.

Iustificatus est firmiter in Christum credens.

Qui enim proposita misericordia dei, firma fide in eum credit, atque confidit, hic iustificatus est, ac sic intrat in misericordia & deducitur iniusticia, & uere regitur a Christo sedente, & in iusticia eiusmodi iudicæ orbem terræ. At qui sic ingreditur in iusticia, multis in uia sua scandalis petitur a carne, mundo, & diabolo. Iuxta illud psalmi: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi, si quo modo offendar ad lapidem pedem suum. Donec enim in carne uiuimus, insidiatur calcaneo nostro serpens antiquus, ut uiam nostram deprauet, aut detorqueat a recto incessu. Ideo hic iudicium dei propositum incutit timorem, qui præseruat Eua seducta est) a simplicitate quæ est in Christo, ut cepto & recto itinere procedamus. Et hæc est recitudo, seu æquitas ista.

Iustitia & recitudo differunt.

Quare licet hæc duo in spirituali isto negotio æstimare, sicut apud medicos medicinam sanatiuam & præseruatiuam, seu, ut aliud sit quod æger sumit, aliud a quo abstinere, donec sanetur: Ita mihi uideretur, iustitiã esse gratiam, quæ per fidem in deum iustificamur: Recitudinem, abstinentiam quandam quæ abstinemus ab omnibus illecebris, aut minis, quibus homo auerti & in sua curuari, ac depruari possit, siue per hanc, perseverantiam siue temperantiam, aut quouis alio nomine quis appellet. Eadem duo per iustitiam & iudicium signficari arbitror, quæ fere semper componuntur in sacris literis, ut psal. cxviii. Feci iudicium & iusticiam. Et iterum: Beati qui faciunt iudicium & iusticiam in omni tempore. Eadem duo per iustificationem & mortificationem membrorum, post iustificationem, exercendam, intelligerem. Licet recitudo magis ad affectum referatur, quæ ad tumultum mortificationis, quæ iudicio & cruce peragitur. Nam is utique rectus est, qui integri ac sinceri tum iudicij, tum affectus esse perseverat, quamcumque in partem oblata, uel causa, uel occasione. Quæ recitudo psal. xc. certe copiose describitur, ubi dicitur: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione dei cœli commorabitur: Dicit domino, susceptor meus es tu &c. hæc enim ad fidem & iusticiam pertinet. Deinde sequitur: Scuto circundabit te, non timebis a timore nocturno. A sagitta uolante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu & damno meridiano. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Quare: quia nec ad dexteram, nec ad sinistram declinat, sed media regia recta quæ uia incedit. Et infra: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis. Certe hæc custodia facit, ut in uia recta perseveret aduersus omnes illecebras ad prauitatem allitiætes. Denique sequitur: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & concalcabis leonem & draconem. Quid hoc: nisi quod calcanei sui uniuersas insidias uincit iustus recitudine sua.

Rectus quis dicitur.

Iustus uincit insidias.

Hanc

Hanc rectitudinem Apostolus Ro. vi. & xij. alijsq; locis commendat: Vbi *Iustificati sicut de non obedi-
ant concupi-*
scencijs.

docet nos esse iustificatos quidem per fidem, sed tamen sollicitos reddat, ne obediamus concupiscentijs, nec membra exhibeamus arma iniquitati, sed re-
nouemur de die in diem, exuentes ueterem hominem & induentes nouum.
Nec est dubium, quin in hebræo plurali numero dixerit in rectitudinibus, qd
Nec est dubium, quin in hebræo plurali numero dixerit in rectitudinibus, qd
nostra translatio singulariter dixit in iusticia (quod & ipsum pro æquitate per
mutauit) ut ostenderet infinita illa maris huius magni reptilia & animalia ma-
gnæ cū paruis, id est, uarias insidias, quibus uia iusticiæ impeditur, ut & si una
sit iusticia & rectitudo, multe tamen dicantur, quia multis exercetur prauis
tatibus & torijs uelut renouatur. Ex his intelligamus, qd magna gratia sit ha-
bere Christum iudicem in iusticia & rectitudine: Atq; qd recto ordine iustici-
am præposuerit æquitati, cum multi sint qui incipiant per fidem iustificari, sed
statim deprauantur & obliquitatibus deturbantur in alienam uiam, manente
nihilominus (ut ipse putant) fide, saltem acquisita, quam uocant. Et hæc obli-
quitas, seu prauitas maxime periculosa est in rebus spiritualibus. De quibus
psalmo. v. diximus. Hanc iusticiæ & æquitatis differentiam, interim sequemur
donec meliora inuenimus, quæ multum meo iudicio lucis asseret uarijs scri-
pturæ locis, quæ huius uocabulis utuntur.

Illud uocabulum est forte, non tamen prætereundum, qd uerbum Iudicabit, *Rektorum Be-
cleste officia-
um.*
Sicut psal. cix. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conuassabit capita in
terra multorum. Sic in libro Iudicum, de rectoribus populi Israël dicitur, qd in-
dicauerint, id est, præserunt Israël. Quo significat, qd regnum Christi constitu-
tum sit in expugnandis non urbibus, aut hominibus, sed peccatis & uitijs: Et
q uice huius regis præfuerint, in iudicio eiusmodi præesse debeant, unico hoc loco
pō obseruato, quo reddant populum Christi a peccatis & erroribus, qd purissi-
mum David. Iudicium enim est officium respectu inferioris quo rectificatur, *Iudicium, &
iusticia quid.*
& a peccatis emūdatur. Iusticia est officium respectu superioris, quo obeditur
eius uerbo. Alterum hoc ad spiritum iustificatum, alterū aliud ad carnem mor-
tificandam pertinet, utrunq; tamen ab uno eodemq; Christo rege & iudice pro-
ueniunt, ministerio uerbi per Apostolos Apostolicosq; uiros.

His dictis nihil obstat, si hunc uersum, ut generalem sententiam apertes, eti-
am extremo iudicio nouissimi diei, atque in uniuersum omni iudicio, siue se-
ueritatis quo perdimuntur impij etiam in hac uita: siue bonitatis, quo conuertun-
tur electi. Vnum est enim, & idem iudicium dei in omnia. Qui enim iudicari
nolunt suauiter, nec in æquitate a peccatis purgari, ut saluentur in iusticia spi-
ritus, sibiipsis ex iudicio bonitatis faciunt iudicium seueritatis, manente nihilo-
minus iusticia & æquitate in uasis misericordie: peccatum enim æquitate ut-
diej dei damnari oportet, sine ab impijs separetur, siue in æternum eis adhere-
at. Et hoc sensu Apostolus hunc uersum tractare uidetur Actuum. xvij. Nunc
deus annunciat hominibus, ut ubique omnes penitentiam agant, eo qd sta-
tuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, per uirum, in quo statuit
fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. Huc & Ro. iij. alludit.
Nunquid iniquus est deus, qui infert iram? Absit. Alioquin quomodo iudi-
cabit deus hunc mundum? Quali diceret, utique in æquitate iudicabit. Nam
& Petrus (i. Pet. iij.) idem iudicium dei facit id, quo conuertit impios, &
quo damnat reprobos, dicens: Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium
a domo

a domo dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt
 gelio? Et si iustus quidem uix saluabitur, impius & peccator, ubi pariter
 Vbi Petrus illud Prouerb. xj. tangit. Si iustus in terra recipit, id est, retribuatur
 ei sicut peccatori & impio, quāto magis impius & peccator. Quod heb. dicitur
 Ecce iusto in terra retribuitur ira, quoniam impius & peccator. Vult autem Pe-
 trus illud Ezech. ix. ubi dominus misso uiro, qui atramentarium scripturam
 in lumbis suis habuit, induto lineis, mandat, ut interficiat omnes usque ad in-
 nationem: A sanctuario, (inquit) meo incipite. Hoc Petrus dicit tempus iudicij
 quod inchoat a domo dei. Quomodo & Hier. xlix. Ecce quibus non erit u-
 dicium, ut biberent calicem, bibentes, bibent: Et tu innocens reliqueris. Vnde
 eris innocens, sed bibens, bibes. Ecce idē calix, sed diuerso fine bibentes, alia
 hinc purgatur & conuertitur, alius reprobatur & damnatur. Sic Deut. xxxij.
 Iudicabit dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur. Par itaque
 iudicium omnibus, sed impar euentus.

Par iudicij
 um, sed impar
 euentus.

Et factus est dominus refugium pauperi, adiutor in oportunita-
 bus in tribulatione.

Hic alterum exercitum describit uictorem, scilicet piorum, ipsam Almuti.
 Eadem dictio hebraice est, refugium & adiutor. Quam Hieronymus reddit:
 Et erit dñs eleuatio oppresso, eleuatio opportuna in angustia. Vult enim pro-
 pheta populum pauperē Apostolorum & Martyrum, esse eleuatum, & uictor.
 Quo tropo Isaia. ix. dicitur: Et leuabit dñs hostes Razin super eum, id est, ui-
 ctos faciet hostes Razin. Ita hic propheta futurum, ut persecutores Ecclesie
 uicti, uictici Ecclesie, uictoria cedat. Quod cum fieret, erat incredibile, nunc
 autem factum est mirabile, sicut erat cū & predicaretur: Hoc totum increpate,
 iudicante, sedente Christo in throno suo.

Exercitus
 Apostolorum
 & Martyrum
 uictor.

Non statim
 exaudiendi
 precantes.

Quod in oportunitatibus dictum est, heb. מְצוּלָה in temporibus dicitur,
 eadem dictio, qua psal. j. Et fructum suum dabit in tempore suo. Satis autem
 transtulit bene, in oportunitatibus, in quo & impatientes arguuntur, & nos
 omnes consolamur. Impatientes enim quibus omnis mora longa est, diem &
 modum deo prescribunt, quo uelint iuari, ut Iudith. viij. arguitur: Qui estis
 uos qui in arbitrium uestrum diem constituistis ei? promisit omnia petentibus,
 pulsantibus, querentibus se daturum, sed locum, tempus, modum, id est, oportu-
 nitates sibi reseruauit soli. Si enim mox, ut clamamus exaudiret, magno no-
 stro malo exaudiret. Primo, quod fidei, spei, charitatis, nullus locus, nullusque
 usus reliquus fieret, statim ad sensum expleto desyderio nro, sicut psal. lxxvij.
 In deserto Iudæi scribuntur non fraudati desyderio suo, cum postulassent car-
 nes, increduli & impatientes moræ, uerum & ira quoque dei simul ascendit mox
 super eosdem, & perierunt. Deinde, ubi fidei, spei, charitatis nullus usus esset,
 nulla quoque sequeretur purgatio peccatorum & mortificatio uitiosorum affe-
 ctuum, quibus in res presentes & sensibiles insanimus; Non purgatis autem
 affectibus & rebus carere non assueti, nihil boni opis facere possumus, nec deo
 unquam placere, quare nec salui fieri. Adeo sollicita est diuina misericordia, pro
 nobis, adeo propter nos differt dare, quod tamen precipit postulare, quo possimul-
 to lucro & cumulo nobis donare. Proinde, Isa. lxxij. Oculus non uidit absque te,
 quæ preparasti expectantibus te: Verbum obserua, expectantibus, & ea quæ
 oculus